At medios ignes celi rapidique leonis
Solsticiale caput nemorosis submouet othris
Excipit aduersos zephiros et iapiga pindus
Et maturato precidit uespere lucem
Nec metuens imi boream habitator olimpi
Lucentem totis ignorat noctibus arcton
Hos inter montes mediaque ualle premuntur
Perpetuis quondam latuere paludibus agri
Flumina dum campi retinent nec peruia tempe
Dant aditus pelagi stagnumque implentibus unum
Crescere cursus erat postquam discessit olimpo
Herculea grauis ossa manu subiteque ruinam
Sensit aque nereus melius mansura sub undis
Ematis equorei regnum pharsalos achillis
Eminet et prima retea littora pinu
Que tetigit philaceque et dolo et ira
Flebile pieridum trachin precioque nefande
Lampados erculeis fortis melibea pharetris
Atque olim larissa potens ubi nobile quondam
Nunc super argos arant ueteres ubi fabula tebas
Monstrat echionias ubi quondam pectore exul
Colla caputque ferens supremo tradidit igni
Questa quod hoc solum nato rapuisset agaue
Ergo abrupta palus multos discessit in amnes
Purus in occasus paruu sed gurgitis eas
Ionio fluit unda mari nec fortior undis
Labitur auecte pater isidis et tuus oeneu
Pene gener crassis oblimat echinadas undis
Et maleagream maculatus sanguine nessi
Euneos calidona secat ferit amne citato
Maliacas sperchius aquas et flumine puro
Irrigat amfrisos famulantis pascua phebi
Quique nec humentes nebulas nec rore madentem
Aera nec tenues uentos suspirat anauros
Et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donauit aquas it gurgite rapto
Apidanos numquamque celer nisi mixtus enipheus
Excipit asophus cursus peneusque melasque
Solus in alterius nomen cum uenerit unde
Defendit titareus aquas lapsusque superne
Gurgite poenea pro siccis utitur arnis
Hunc fama egestis manare paludibus amnem
Et capitis memorem fluuii contagia uilis
Nolle pati superumque sibi seruare timorem
Ut primum emissis patuerunt amnibus arua
Pinguis bebricio discessit uomere sulcus
Mox lelegum dextrum pressum descendit aratrum
Eolidum dolopesque solum rupere coloni
Et magnetes equis minie gens cognita remis
Illic semiferos ixionidas centauros

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1685/0088

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG